UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Annales Ecclesiastici

Jncipiens ab Anno Redemptoris DCC.XIV. perducitur vsq[ue] ad Annum DCCC.XLII. quo & orta hoc sæculo in Oriente, debellata est penitus Iconoclastia; vt planè qui Tomum hunc Panopliam dixerit aduersus impios Iconoclastas, veritatis scopum attinget, Continet annos C.XXVIII.

Baronio, Cesare

Coloniæ Agrippinæ, 1624

Iesv Christi Annus 833. Gregorii Pap. IV. Annus 6. Lvdovici 20. Theophili 4. Imp.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15233

Visual Library

ex dictis Patrum noſtrorum, Dionyſii, Magni Hierothei, & Irenæi, qui fuerant aut paulò ante eos rempublicam adminiſtrantium Chriſtianorum, ſed antiquam atq; adeò priſcam quæ etiam ſculpturis imaginum ſignum ab Apoſtolis viguiſſe demonſtrabant. Siquidem Apoſtolus Lucas Dei Genitricis formam expreſſit; & ipſe Chriſtus Dominus ac Deus noſter ſuam in quodam linteo depictam effigiem non manu confectam nobis reliquit. Iſti igitur ſacroſancti viri Tyranni inſcitiam redarguerant. Cumq; eſtimarent eum (quod admodum liberè loquebantur) abieciſſent: poſt multas plagas & verbera atq; tormenta ex vrbe exterminati fuere. Qui cùm ad ſacrum Præcurſoris templum in Euxino Ponto ſitum perueniſſent, ſuppliciorum plagis confecti, cæleſti quiete tandem digniti ſunt. Quorum veneranda corpora in terram inſepulta proiecta, integra & ſalua diutiùs permanſere, quoad fideles quidam ea ſuſcipientes ſepeliendo curarunt, variiſq; honore certatim affecerunt Sanctos, qui pro Chriſto Deo martyrium ſubiere.

IV. MONACHVS IN IVDICIO [illegible] IMP.

Quos æmulatus ſinulis, & cognitus his alius quidam monachus oſtenditur, qui nuper ad ſacerdotij principatum aſcenderat. Nam zelo Dei motus coram Tyranno adſiſtit, aliaq; non parua enarrauit, & illud Apoſtoli dictum: Si quis vobis euangelizauerit præter quam accepiſtis, anathema ſit. Verùm iſti quoq; plagas inflixit multas, ſed vbi ſtabilior viſus eſt in diſputando, ad Ioannem emiſit præceptorem Tyranni. Cui imperauit, vt hunc ipſum dialecticis demonſtrationibus in ſuam ſententiam adduceret. At generoſus ac ſtrenuus ille decertator non ſophiſticis, aut dialecticis demonſtrationibus, ſed Apoſtolicis & Euangelicis dictis magis mutum iſtum reddidit quàm piſcem. Et tunc haud paucis item plagis acceptis, in exilium mittitur. Sed paulò pòſt cum magno ſignatio quodam tempus commoratus, cùm eum de futuris imperatoribus edocuiſſet (erat enim futura prænoſcendi munere donatus) ad Dominum migrauit.

V. DE LAZARO MONACHO PICTORE & GRÆCIA CONFESSIONE.

Tyrannus verò ſacris imaginibus infeſtus, properabat pictores omnes perdere; vel ſi viuere mallent, iubebat vt ipſas expuerent, tamquam profana quædam pedibus in terram proiecta conculcarent. Præter alios comprehenſus eſt item Lazarus monachus, qui tum pingendi arte celebris erat, ac primùm ille Theophilus Deo repugnans, obſequijs ipſum deuincire tentauit; ſed vbi omni adulatione præſtantiorem eum vidit, ad iuſtam ſibi vim conuerſus eſt, tantiſq; tormentis ipſum excruciauit, vt nec ſupereſſe quidem poſſe exiſtimaretur. Et ita corpore malè habentem concludit in carcere. Sed poſtquàm illum conualuiſſe audiuit, rurſumq; imagines depingere laminas ferreas igniti illius palmis iuſſit admoueri, igitur carnes depaſcebatur ignis, quoad animo tandem defectus athleta exanimis ſemimortuus. Verùm oportebat diuinâ gratiâ hunc ſeruari, vt poſteris eſſet incitamentum. Quare Tyrannus vt extremum iam ſpirare Sanctum didicit, Reginæ precibus ille cum quibuſdam alijs qui ſibi maximè propinqui erant, è carcere liberatur, & in templo Præcurſoris, quod ita vocabatur, Formidabilis, occultatus eſt, atque vt ſeſe habebat plagis malè affectus, Præcurſoris expreſſit imaginem, quæ diu conſeruata ſanat ægrotos, atque hæc ita tunc geſta ſunt. Superfuit etiam iſte poſt obitum Imperatoris, & pingere ſacras imagines non ceſſauit. hæc de rebus Orientalibus ſatis, ad Occidentale tranſeamus.

VI. Fluctuabant in Occidente inter hæres Lodouici Imperatoris, cùm ipſe in carcerem coniecisſet filium Pipinū, qui inde à ſuis noctu ſubductus eripitur. Quamobrem ipſum Regno priuat, quod inter Lotharium atq; Carolum diuiſit; ſed res effectum non eſt conſecuta.

Hoc pariter anno ordinato S. Anſgario Sueonum atque Danorum Apoſtolo Amaburgenſi Archiepiſcopo ciuitatis Tranſalbianorum primo, Gregorius Papa pallium inſigne plenitudinis poteſtatis ad eum miſit. De his enim vetus chronographus, Adam nominatus, verbis iſtis: [a] Tunc enim ſcilicet idem Sanctus magnum retuliſſet ex gentilium prædicatione prouentum, Imperator Ludouicus cum magiſtratibus S. Anſgario de ſalute gentium congratulatus, ingentes Chriſto gratias perſoluerunt.

[a] Adam.li. 1.c.17.

VII. SEDES ARCHIEPIS. AMABVRGENSIS A GREGOR. PAPA [illegible]

Habito igitur generali ſacerdotum Concilio pius Cæſar votum parentis implere cupiens Amaburg ciuitatem Tranſalbianorum Metropolim ſtatuit omnibus barbaris nationibus, Danorum, Sueonum, itemq; Sclauorum, & alijs circumiacentibus in circuitu populis. Eiq; cathedræ primum Archiepiſcopum ordinari fecit Anſgarium. Hoc factum eſt anno Domini octingenteſimo trigeſimoſecundo, qui eſt Ludouici Imperatoris annus [*] XVIII. Villerici Bremenſis Epiſcopi quadrageſimus tertius. Conſecratus eſt autem à Drogone Metenſi Epiſcopo, Cæſaris fratre germano, aſſiſtentibus atq; fauentibus Odgario Moguntienſi, Ebbone Rhemenſi, [*] Heddi Treuirenſi, & alijs. Conſentientibus etiam Villerico Bremenſi, & Helingaudo [*] Ferdenſi Epiſcopis, quibus antea diœceſis illa commendata eſt, roborante id Gregorio quarto Apoſtolica auctoritate & pallij donatione. Habentur in Eccleſia Bremenſi præcepta Imperatoris, & priuilegia Papæ ſancto Anſgario data. hæc auctor. Quæ malè apud [b] Crantzium in Eccleſiaſtica Saxonum hiſtoria facta ponuntur anno ſequenti Redemptoris: ſiquidem præfertur dicti auctoris antiquitas, qui illi ſibi fidem maiorem conciliat. Ludouicus verò anno ſequenti ab Imperio depoſitus reperitur.

SECTA ET PRIVILEGIS AVCTA. [*] XIX. [*] Vuetolii

[b] Crant. Eccle. hiſt. Sax. li. 1. c. 20.

IESV CHRISTI
Annus 833.

GREGORII PAP. IV. Annus 6. LVDOVICI 20. THEOPHILI 4. IMP.

I. QVID IN THEODORVM ATQVE THEOPHANEM THEOPHILVS.

REDEMPTORIS ſequitur annus octingeteſimus trigeſimus tertius Indictionis vndecimæ, quo proſequens malè cœptam aduerſus Chriſtianos perſecutionem Theophilus, in peregrinos homines Catholicæ Fidei profeſſores Theodorum atque Theophanem fratres iram conuertit: quos dirè plagis affectos exilio tandem mulctauit, deportari eos iubens in Inſulam. Quod ad tempus pertinet, non ante præſentem annum hæc accidiſſe potuerunt, licèt ab alijs primò loco perſecutionis inconſultè ponantur. Cum enim in eorum actis narretur, eos iam biennio habitaſſe in Inſula, cùm Ioannes Antonio ſuffectus fuit in throno Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ; conſtetque id non ante ſextum annum Theophili Imperij factum: vtiq; non ante præſentem annum hæc contigiſſe potuerunt. Qui horum Confeſſorum res geſtas proſecutus auctor, hic eodem ſæculo vixit, & ab exordio perſecutionis Theophili velut ab ouo (quod dicunt) rem auſpicatus, ſic exorditur.

II. Poſtquàm deceſſit impius Imperator Michael, magis impio filio ſuo Theophilo reliquit Imperium. Qui malum dogma ſic eſt amplexatus, & ijs qui pietatem magis acriùs tenebant, extitit tam grauis, vt omnes qui fuerant antea malæ opinionis frigidos ac molles redderet in impietate. Hinc rurſus in pios perſecutiones, & ſacrarum rurſus imaginum euerſiones, & rurſus tormenta, & iudicia, & carceres, & omne genus iniuſtitia commotum in pietatem. Hinc Theodorus cum fratre Theophane delatus, & quod pius eſſet, accuſatus. Quis pro pietate quidem, quod non ſuſtinuit genus ſupplicij, vel potiùs quam non ſuſcepit coronam martyrij? Non tolerantiæ? Non dicendi libertatis? Non zeli, qua pro Domino concitatus, quotidie decertabat? Martyr inter Martyres & Confeſſor eſſectus per ipſa pro Chriſto certamina. Res autem illum magis oſtendit multorum dierum carcer quem ſuſtinuit, & multiplicia ſupplicia, quæ filij à patre in hodiernum vſq; diem accipientes, efficiebant, vt & ea ſuperârint obliuionem & ſcriptis mandata ſint.

III. Ab his ſupplicijs multi quidem ex ijs, qui fuerant comprehenſi, victi ſunt, etiamſi pœnitentia aduerſus victoriam rebellârit: complures autem propter ſpem & Chriſti deſiderium generoſo & forti animo contempſerunt. Cum quibus hic quoque vir diuinus, cum hoc quod nihil ceſſit ijs quæ promittebantur beneficijs, ſatis prætereà caſus, dici non poteſt, quantam oſtendit fortitudinem, ſuis certaminis effectus exemplar non facile ad imitandum. Ipſe certè, cùm iam fuiſſet ei corpus laceratum flagellis, & ſolum ſanguine aſperſiſſet, vt qui rerum grauiorum & aſſeratum nullum ſenſum ſuſtinuiſſet, nudus ſtetit in medio tribunali, & de plagis tamquam de aliquo ornamento glorians, & ſic (vt ait [c] Paulus) effectus eſt theatrum Angelis & hominibus. Cùm autem præfectus ægrè tuliſſet hanc diuturnam tarditatem: Ergo (inquit athleta) ideò ſto nudus, vt ſi aliquem videro athletam deſeſſum doloribus illius defectum meo corpore alacri animo ſuppleam. O viri fortitudinem! ô dicendi libertatem! ardorē in dominum! Rurſus ergo relegantur in inſulam, quam ſolent appellare Aphuſiam. Vnuſq; de

[c] 1.Cor.4.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

his, quæ in primo certamine ſub Theophilo contigerunt.

IV. QVALIS IN DOGMATIBVS THEOPH.

Quomodo autem poſt biennium, iterum reuocatus iterum ad confeſsionem & ſupplicia cum fratre ſit repetitus, ſuo loco dicturi ſumus. Cæterùm quod ad Theophilum ſpectat, quòd plerique dicant hunc ſuperaſſe impietate prædeceſſores Imperatores, dixerint iſta fortaſſe de his quæ ſpectant ad cultum ſacrarum imaginum, quas penitùs auerſabatur: cæterùm etſi Iconoclaſta fuit, Hagiomachus tamen nequaquàm fuit, vtpotè qui Sanctos coleret, Dei Genitricis Eccleſias frequêtaret, ſed vt (quod maius videri debet) erigeret, vt Ioannes Curopalata tradit. Quod verò ad dictos pertinet Confeſſores, alij qui horum fratrum ſunt confeſsionem ſcriptis proſecuti, iſta quæ diximus prætereuntes, ab ijs quæ in poſteriori confeſsione ſunt geſta, ſumunt dicendi principium, quæ poſt biennij ipſorum exilij tempus contigerunt, quæ nos ſuo loco dicturi ſumus.

V. LVDOVICVS COGITVR SE IMPERIO ABDICARE.

Grauiori inter hæc turbine quatitur rurſum Imperiũ Occidentale, cùm Ludouicus Imperator ſe cogitur abdicare, conſpirantibus iterum in eum filijs, ſimulque Epiſcopis, quorum ſuaſu idem rurſus ad publicam peragendam redigitur pœnitentiam. Hæc ſingula quomodo ſe habuerint, ſunt accuratiùs exploranda. Quod enim Pipinus à patre priuatus eſt Aquitania, quæ Carolo puero ex Iudith nato data fuit: magnam ſibi Imperator cum odio concitauit inuidiam, non Pipini tantùm ſed aliorum filiorum Lotharij ac Ludouici, quo factum eſt, vt ad bellandum pararentur vtrimque exercitus. Intereà verò Gregorius Papa pacem inter filios atque parentem conciliaturus Romà profectus, ad ea quæ prius obuia habuit caſtra filiorum acceſſit, diutiusque ibidem commoratus, vt ad concordiam filios inducere poſſet. Quæ res in deteriorem partem accepta eſt à Ludouico, inſuſurrantibus nonnullis, ſtudere nimirùm Pontificem filijs Imperatoris: iactantibus inſuper fore, vt eſſet excommunicaturus Pontifex quotquot inhærerent Imperatori. Quo factum eſt, vt veniens ipſe Gregorius ad Ludouicum, haud eo ſit ſuſceptus honore quo conſueuerunt prædeceſſores Reges Francorum ire obuiam, & excipere Romanos Pontifices. Conteſtatus autem ipſe Pontifex ſe non aliam ob cauſam eſſe Romà profectum, niſi vt ortum domeſticum bellum ſedaret, pacemque inter Imperatorem atque filios conciliaret: ab eodem Ludouico dimittitur ad filios, rem tractaturus cum ipſis. Sed cùm nihil ex ſententia eueniret, implacabili odio aduerſus patrem commotis illis: Gregorius re infectâ, mœrens reuerſus eſt Romã. Hæc quidem ex vita eiuſdem Ludouici Imp. quæ auctor qui appendice auxit hiſtoriam Aimoini, ex eo totidem verbis appoſuit.

GREGOR. FRVSTRA LABORAT PRO COMPONENDA DISCORDIA.

VI.

Theganus Treuerenſis Eccleſiæ Chorepiſcopus qui aderat, partibusque Ludouici fauebat, de his quæ ſpectant ad Gregorium Papam hæc habet: *Poſt Paſcha Ludouicus audiuit, quod iterum filij ſui ad eum venire voluiſſent nõ pacificè. Qui congregauit exercitum, & perrexit obuiam eis vſque ad Campum magnum, qui eſt inter Argêtariam & Baſileam, qui vſque hodie nominatur Campus mendacij, eo quod ibi plurimorum fidelitas extincta eſt,* transfugientibus illis ad hoſtes. *Filij autem eius perrexerunt ei obuiam cum Gregorio Romano Pontifice. Et quicquid poſtulabant, nihil erat eis pater conſentiens. Non poſt multos dies venerunt ad colloquium Imperator, & iam dictus Pontifex. Qui non diu loquentes, honorauit eum Pontifex imprimis magnis & innumeris donis. Poſtquàm vterque rediit in tabernaculum, miſit Imperator dona regalia per Adalungum venerabilem Abbatem & presbyterum ſupradicto Pontifici.* hactenùs de rebus geſtis cum Rom. Põtifice, qui deſperatis rebus (vt dictum eſt) Romam reuerſus eſt.

Cùm autẽ accepiſſet Agobardus Archiepiſcopus Lugdunenſis, Gregorium Papam haud dignè (vt par erat) acceptum à Ludouico Imperatore, exiſtimante ipſum cum filijs trahere eumdem funem: hæc ſcripſit ad eumdem Imperatorem:

Extant inter alia opera Agob. cuſa

Iubet veſtra prudentiſsima ſolertia contra commotiones huius temporis paratum eſſe vtrumque ordinem, militarem videlicet & Eccleſiaſticum, id eſt, & eos qui ſæculari militiæ, & illos qui ſacris miniſterijs inſeruiunt: & illos quidem ad certandum ferro, iſtos autem ad diſceptandum verbo, vt ſimiles ſimilibus obſiſtere valeant. In qua re ſummoperè ſciendum eſt, quod in congreſsione armorum plus expectanda eſt iuſtitia ſuperni regiminis, quàm virtus brachiorum. In altercatione autem ſermonum plus expectanda eſt veritas, quàm copia verborum. Propter quod orandum eſt ab omnibus tota intentione mentis, vt ille, de quo vox dicit: Dominus illuminatio mea, & ſalus mea, quia illuminatio veſtra eſt, illuſtret faciem ſuam ſuper vos: & quia ſalus veſtra eſt, ſaluos faciat in ſua miſericordia, vt huic orationi congruenter vos ſubiungatis: Domine non confundar, quoniam inuocaui te.

Ego igitur ſeruulus veſter cùm cognouiſſem ex veſtro ſacro præcepto iniunctum mihi eſſe ad veſtram præſentiam properare tempore præfinito, vt cum cæteris Eccleſiaſticis viris [illegible] reprehenſionis oppoſitionem adhibere poſſimus: viſum mihi eſt, vt in Dei & veſtro ſeruitio de antiquorum Patrum dictis & ſenſibus hæc verba, quæ ſuper annexa ſunt, glorioſiſsimæ celſitudini veſtræ mitterem, quatenus ſancta religio veſtra ea perpendere dignetur, cuius reuerentia debitores ſumus ad veſtrum quotidianum profectum erga Sedem Apoſtolicam, quoſdam ſeniores Epiſcopos, eo quòd nomen eius reticerent in actione ſacri myſterij in ſolemnijs Miſſarum, in principio ſcilicet, vbi dicitur in primis: Quæ tibi offerimus pro Eccleſia tua ſancta Catholica, quam pacificare, cuſtodire, adunare & regere digneris toto orbe terrarum, vna cum famulo tuo Papa noſtro, at ad reliquos Epiſcopos: Diuiſionem veſtram à generali Eccleſia, quam tolerabiliter ferre non poſſum, vehementer ſtupeo. Cùm enim Beatiſs. Auguſtinus Dominicæ ſententiæ memor, quæ fundamentum Eccleſiæ in Apoſtolicis ſedibus collocauit, in ſchiſmate eſſe dicat, quicumque ſe à præſule earumdem ſedium, auctoritate vel communione ſuſpenderit, nec aliam manifeſtet eſſe Eccleſiam, niſi quæ in Pontificibus Apoſtolicarum ſedium eſt ſolidata radicibus: quomodo vos ab vniuerſi orbis communione ſeparatos eſſe non creditis, ſi nomen ſummi Pontificis in myſteria ſecundum conſuetudinem nominis memoriam tacetis, qui licet indignè, Apoſtolicæ ſedis per ſucceſſionem Epiſcopum præſenti tempore videtis conſiſtere firmatum? Beatiſsimus quoque Leo Papa ad vniuerſos Viennenſis prouinciæ Epiſcopos de auctoritate & priuilegio Apoſtolicæ Sedis ita ſcribit: Diuinæ cultum religionis, quem in omnes gentes, omneſque nationes Dei voluit gratia coruſcare, ita Dominus noſter Ieſus Chriſtus humani generis Saluator inſtituit, vt veritas, quæ antea Legis & Prophetarum præconio continebatur, per Apoſtolicam tubam in ſalutem vniuerſitatis exiret, ſicut ſcriptum eſt: In omnem terram exiuit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. Sed huius muneris ſacramentum ita Dominus ad omnium Apoſtolorum officium pertinere voluit, vt in beatiſsimo Petro Apoſtolorum omnium ſummo principaliter collocaret, vt ab ipſo, quaſi quodam capite, dona ſua, velut in corpus omne diffunderet, vt exortem ſe myſterij intelligeret eſſe diuini, qui auſus fuiſſet à Petri ſoliditate recedere. Hunc enim in conſortium indiuiduæ vnitatis aſſumptum, id quod ipſe erat, voluit nominari, dicendo: Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam: vt æterni templi ædificatio mirabili munere gratiæ Dei in Petri ſoliditate conſiſteret, hac Eccleſiam ſuam firmitate corroborans, vt illam nec humana temeritas poſſet appetere, nec portæ contra illam inferi præualerent. Verùm hanc Petræ iſtius ſacratiſsimam firmitatem Deo, vt diximus, ædificante conſtructam nimis impia vult præſumptione violare, quiſquis eius poteſtatem tentat infringere, fauendo cupiditatibus ſuis, & id quod accepit à veteribus, non ſequendo. Hæc B. Leo. Sed & alij multi huiuſmodi docentes, vt illum ſtabilis Petræ ſempiternam ſoliditatem, ſuper quam Dominus Saluator noſter propriam fundauit Eccleſiam, à Sede Apoſtolica vſque ad occaſum Primatus ſui apicem ſucceſſorum ſuorum [illegible] tam per ſe, quàm per vicarios ſuos firmiter obtineret. [illegible] B. Athanaſius Papa ad Imperatorem ſcribens, [illegible] Chriſto fungatur legatione, qui pro pace precatur Eccleſiæ: [illegible] ſuum Imperatorem admonet, vt conſtituta Apoſtolicæ Sedis [illegible] peret.

Certè clementiſsime domine, ſi nunc Gregorius Papa irrationabiliter & ad pugnandũ venit: meritò & pugnatus, & repulſus [illegible] det: ſi autẽ pro quiete & pace populi, & [illegible] nẽ. & rationabiliter obtemperandum eſt illi, non repugnandum. Si enim quod veſtra voluntas, & poteſtate, cum conſenſu totius Imperij veſtri factum eſt, & poſtea in Apoſtolica Sede roboratum, hoc vult in priſtinum reducere ſtatum, ſatis rationabile, & oppor-

tunum

tuus eſt citò aduentus. Quia nullatenus, quod dicta eſt conſtitutum à vobis, debetis mutare: nec enim ſine graui periculo, & reatu animæ fieri poteſt in his ſacratiſſimis diebus Paſchalibus. Perlatæ ſunt ad me litteræ iſtius Apoſtolici, præcipientes, vt ieiunia, & orationes cum abſtinentia faceremus: ſi fortè omnipotens Dominus effectum conatui eius præſtare dignetur: quatenus apud vos obtineri poſſit, vt pax, & cõcordia priſtina domui, & regno veſtro reſtituatur. Quod ego audiens, compunctus, faciem cordis mei quãtum valui, ad Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum leuaui, vehementer exoptans, vt ſine ſanguinis effuſione tam iniuſtus tumultus per benigniſſimam omnipotentiam eius ſedaretur. Dignetur ſublimis prudentia veſtra piè perpendere quod Apoſtolus dicit: In nouiſſimis diebus inſtabunt tempora periculoſa. Quæ pericula B. Papa Gregorius ſuo iam tempore, quando adhuc ſtatus idem multò, & incomparabiliter melior erat quàm nunc, ita deplorat dicens: Tantis quippe in hoc loco huiuſmodi fluctibus quatior, vt vetuſtam ac putreſcentem nauem, quam regendam occulta Dei diſpenſatione ſuſcepi, ad portum dirigere nullatenus poſſim. Nũc ex aduerſo fluctus irruunt, nunc ex latere cumuli ſpumoſi maris intumeſcunt: nunc à tergo tempeſtas inſequitur: interque hæc omnia turbatus, cogor modò in clauum aduerſitate dirigere, modò curuato nauis latere minas fluctuum ex obliquo declinare. Ingemiſco, quia ſentio quòd negligente me creſcit ſentina vitiorum, & tempeſtate fortiter obuiante, iam iamque putridæ naufragium tabulæ ſonant.

Heu, heu, ſi tunc iam putreſcebat nauis Eccleſiæ, & ſi eius tabulæ iam putridæ erant, quid nunc eſt? Hæc verba, piiſſime domine, beatiſſimi Doctoris propterea ad memoriã veſtram reducere præſumpſi, vt quia nemo dubitat vos multò, & ineffabiliter plus eſſe amatorem regni cœleſtis, quàm terreni permanſuri, quàm tranſituri: & iuxta veſtram ſanctam Fidem, ſpem, & charitatem de nullo alio opere poteſtis tam charè Deum placare, quàm de ſollicitudine, & adminiſtratione pacis, & vnitatis Eccleſiæ: veſtra ſolertiſſima religio elaboret, vt omnis anima fidelis proficiat in Fide, & cognitione Dei, quæ res omnibus rebus Deo charior eſt, huius rei * *niſus merita veſtra appropinquare faciat Apoſtolicus meritis.* Poſt hæc autem redarguens eumdem Imperatorem quòd ſcribens ad Romanum Pontificem, modò fratrem, modò patrem appellaſſet: eum non fratrem, vt alios Principes, nominandum eſſe affirmans, hæc ſubijcit:

*Eniſus

Romano Pontifici ſcribentes, contrarijs eum in præfatione nominibus appellaſtis, fratrem videlicet, & Papam: dum congruentius eſſet ſolam ei paternam reuerentiam exhibere. Aduentu quoque eius comperto, lamentare vos dicitis, credẽtes omnibus Principibus ſcilicet ſubiectis futurum, & optaſſe occurſum noſtrum à nobis non negandum, niſi ſacra iuſſio Imperialis præueniret: quæ verba reprehenſibilia ſunt, vno quidem modo, quia iuſſio Apoſtolicæ Sedis non minus vobis ſacra videri debuerat, quàm illa quam dicitis Imperialem: deinde quia veritate caret, quod dicitis illam præueniſſe: non enim illa præuenit, ſed noſtra, id eſt, Pontificalis. Neque ignorare debueratis, maius eſſe regimen animarum, quod eſt Pontificale, quàm Imperiale, quod eſt temporale. B. Gregorius Nazianzenus non hoc timuit coram Imperatoribus in Eccleſia prædicare: ſic enim ipſis Imperatoribus loquitur, dicens: Suſcipitis ne libertatem verbi, &c.

VII. EXCVSATVR OMNINO GREGOR. A CALVMNIA.

Cæterùm etſi ſint qui dicant, in ſuſpicionem ductum Gregorium Papam apud Ludouicum, quòd diutiùs apud eos manſiſſet: tamen euentus hanc penitùs ſuſpicionem euacuauit; ſiquidem ipſe quòd eis aduerſus patrem non fauerit, infenſos ſibi reddidit, cuius rei causâ Lotharius cùm reuerſus eſt in Italiam, acerbiſſimum odium aduerſus eumdem Gregorium, ipſam Romanam Eccleſiam perſequendo, manifeſtis operibus declarauit: quod ipſe Ludouicus intelligens, eidem quibus valuit auxilijs prçſtò fuit, vt ſuo loco dicturi ſumus. At verò tantum abeſt vt ſceleratis filiorum operibus conſenſum præſtiterit Gregorius Pontifex, vt ab eis factum patris abrogationis decretum reſciderit, quod teſtatur Paulus AEmilius, qui res Francorum eſt feliciter proſecutus.

Porrò eodem quo ſuprà libello Ludouico Imperatori oblato, Agobardus Lugdunenſis Archiepiſcopus plurimùm inuectus eſt in Auguſtam iam dimiſſam, ſed domi receptam, vrgens vt rurſum eijceretur. hæc enim exagitauit ipſam declamatione forenſi: a

a Agobar. Epiſt. ad Ludou. Imp. pag. 360.

Audite hæc omnes gentes, audiat terra, & plenitudo eius à Solis ortu, & occaſu, ab Aquilone, & mari, & ſciãt & recogitent pariter, domini, & Imperatoris Ludouici filios iuſtè fuiſſe, & eſſe indignatos, & benè ſentire, & intendere ad expurgãdum paternum palatium à ſordibus facinorum, & iniquis factionibus: & regnum ab amariſſimis, & tumultuoſis inquietudinibus: tantum vt inter eos germana fides, & fraterna ſinceritas Deo digna, & omni fideli populo beneplacita perſiſtat, & inuiolabiliter perſeueret. Igitur cùm prædictus dominus & Imperator quietus eſſet in domo, & florens in palatio ſuo, cùm adhuc iuuenem coniugem ſub ſua reuerentia cuſtodiret, & ſecundùm Apoſtolum, vxorium debitum illi perſolueret: in proceſſu verò dierum cùm cœpiſſent hæc primùm tepeſcere, deinde frigeſcere, ac per hoc, & mulier reſolui in laſciuiam ceſſantibus licitis conuerſa; immò aduerſa, ad illicita adſciuit ſibimet aptas perſonas ad perpetrãda turpia, & primùm latenter, deinde impudenter. Cognouerunt autem hoc initio pauci, deinde plures, ad poſtremum autem multitudo palatij, & regni, ac ſinium terræ: quam rem irridebant minores, dolebant maiores, omnes autem clari viri intolerandam iudicantes. Concitati itaque ſunt ſpiritus filiorum Imperatoris rationabili zelo, videntes maculatum ſtratum paternum, ſordidatum palatium, confuſum regnum, & obſcuratum nomen Francorum, quod hactenus clarum fuerat in toto orbe: & ſurgentes vno, & pio conſenſu in emundatione ſcelerum conuenerunt ſimul, & alijs comprehenſis, alijs effugatis, auctrice verò malorum à palatio excluſa, incluſaque in cuſtodia mutato habitu regali, induto habitu ſanctimoniali, reddiderunt patrem quieti, & aliquantulæ honeſtati.

Cumque per nimiam filiorum remiſſionem benè acta diſſoluerentur per carnalium blandimenta, & cupidorum ſceleſtos fauores, atque indecoras adulationes: iterum mulier tamquàm legitima domina reuocata eſt in palatium, & prælata conſilijs, & Conſiliarijs. Cuius inſtigationibus mutata eſt mens Rectoris, & cœpit diris cornibus ventilare filios, & conturbare populos: ſicque factum eſt inauditum antea mortalibus, vt non tam perſecuti iniuſtè ſuſtinerent perſecutiones, quàm perſecutores inuiti, & coacti exercerent, & non ſolum exercerent, ſed & ſuſtinerent, dum violentiſſimè in diuerſa, & contra iuramenta compelluntur. Attendite, & videte, ſi factum eſt vnquàm huiuſmodi. Iuratum eſt ergo Imperatori ſeniori, & eodem iubente, ijdem ipſi iurauerunt Imperatori iuniori, & iterum ipſo faciente, aliqui ex ipſis iurauerunt Regi fratri, & ad poſtremum penè omnes compulſi ſunt iurare puero: & ne ibi quidem remãſit, ſed quaſi nihil horum fuiſſet, adhuc extorta ſunt iuramenta, &c. Demùm verò cuncta mala ex mala coniuge prouenisse oſtenſurus, de ipſa à principio, quo eam duxerat Ludouicus, narrat hiſtoriam, ſic incipiens:

Commotio itaque huius temporis, & harum regionum, quæ mira omnipotentis Dei ſuauitate, & dulcedine, ſine conflictu armorum ſedata eſt, non ſegniter memoranda eſt, ſed debet corda Fidelium in laudibus Dei, & gratiarum actione alacriter ſuccendere, & ad ſolertiam cautelæ ſollicitè reddere. Quæ commotio, & conturbatio quale habuerit initium, vel originem, nõ eſt penitus reticendum. Igitur cùm Chriſtianiſſimus, & piiſſimus Imperator dominus Ludouicus, bonæ coniugis fide, & moribus ſibi congruentis conſortium amiſiſſet, neceſſe fuit vt aliam ſibi acciperet, quæ ei poſſet eſſe adiutrix in regimine, & gubernatione palatij regni. Sed occulto Dei iudicio talis aſſumpta eſt, quæ licèt in primis annis viri, & domini ſui virtute, & poteſtate preſſa ſubdita fuerit, tamen in proceſſu temporis inuenta eſt, quæ magnorum fluctuum commotionis, & conturbationis largus theſaurus eſſe poſſet, quæ non ſolùm plebes ac populos, ſiue Principes, verùm etiam elegantiſſimos filios Imperatoris etiam coniugatos, & gubernacula regnorum poſſidentes affigeret, cõtriſtaret, & conturbaret, & penè attereret, & exterminaret. Cumque talibus incrementis viderent hi, quibus cura erat de ſtatu, & honore regni, ac tranquillitate pacis, & quiete populi, dehoneſtari palatium, obſcurari claritatem regni, & ad ignominiam deduci nomen regnantium: cœperunt queri, & murmurare, ac dolere, & deplorare.

Inter hæc concitati ſunt ſpiritus virorum honoratorum, & filiorum Reges, & creſcente concluſio, accedente etiam conſilio conuenerunt ſinguli de loco ſuo, & coniunctè ad palatium, effugauerunt miniſtros ſceleris, & Reginam, quæ totius mali cauſa erat, excluſerunt de domo, & honore regni, & conſtituerunt

*in retruſionem exilij. Ac deinceps quaſi iam liberatum bonum Patrem de laqueo ruinæ, gaudebant ſe impleſſe quod inſcriptum eſt: Eijce deriſorem, & exibit cum eo iurgium, ceſſabuntq; cauſæ, & contumelia. Hoc tam irreprehenſibile factum, & omni laude digniſſimum cum compleſſent filij, redierunt ad ſua, reſtituto Patre honori, & gloriæ ſuæ. His ita tranſactis, inimicus omnis boni, auctorq; omnis mali, qui non reliquerat corda poſſeſſa, ſategit inſtaurare, & redintegrare malum ſuum, & Regina, quæ mutato habitu regali putabatur perdurare in habitu ſanctimonialis, ſicut ordo poſcebat, & rectitudo iudicij docebat, reducta eſt in palatium, & aſſumpta in conſortium quaſi legitima coniux, quod eſſe iam nullatenus poterat. Collocata itaque turpiter, & indecenter in faſtigio regali, prius malum auxit, & multiplicauit. Ad quæ? bonus filius quid agere debuit? numquid diſſimulare? numquid ſilere? numquid quieſcere? Non ita placuit illi indormitabili oculo, qui cuſtodit Iſraël ſuum: ſed ſuſcitauit ſpiritus filiorum, & conuenerunt iterum, ad ſuccidendam recidiuam malorum ſtirpem. Timebant enim ne Patri eueniret illud, quod de quodam Rege Scriptura ſancta loquitur, dicens: Igitur non fuit alter talis, vt * habb., qui venumdatus eſt, vt faceret [a] malum in conſpectu Domini: concitauit enim eum Iezabel vxor ſua, & abominabilis factus eſt, &c.* Sed hæc de præteritis, in præſentiarum verò quid ageret, eodem libello ſuperiùs ita paucis multa perſtrinxit, dicens:

* Achab
a 3. Re. 12.

Dicunt etiam aliqui, quod domina Palatij ſeniorũ extra illa, quæ de eius occultis, & non occultis dicuntur, ludat pueriliter, ſpectantibus etiam aliquibus de ordine ſacerdotali, & pleriſq; concludentibus, qui ſecundùm formam quam Apoſtolus ſcribit de eligendis Epiſcopis, dicens: [b] Domui ſuæ benè præpoſitum, filios habentem ſubditos cum omni caſtitate, quia ſi quis domui ſuæ præeſſe neſcit, quomodo Eccleſiæ Dei diligentiam habebit? prædicare debuerant dominæ ludenti: Si qua Regina ſemetipſam regere non nouit, quomodo de honeſtate palatij curam habebit? aut quomodo gubernacula regni diligenter exercebit, &c. Pluribus enim vrgens, perfecit tãdem quod voluit, vt ſcilicet Auguſta rurſus palatio eiecta longè longiùs amandaretur per filios extra Gallias in Italiam, claudenda diligenti cuſtodia in ciuitate Derthona, vt ex ſequentibus patet.

b 1. Tim. 3.

VIII.

At quæ in caſtris Imperatoris hæc ſequuta ſint, idem qui ſuprà Theganus ſic narrat: *Tunc conſiliati ſunt nonnulli vt Imperatorem relinquerent, & ad filios eius peruenirent, in primiſq; illi, qui eum antea * offendebant, cæteris ſequentibus. Quadam nocte maxima pars dimiſit eum, & tentoria * eorum relinquentes peruenerunt ad filios. In creſtinum verò reliqui qui remanſerunt, venerunt ad Imperatorem, quibus præcepit dicens: Ite ad filios meos, nolo vt vllus propter me vitam aut membra dimittat. Illi infuſi lacrymis recedebant ab eo (iam tunc ſeparatam ab eo habebant vxorem ſuam) iuramẽto * confirmans, vt nec ad mortem, nec ad debilitatem eam habere deſiderarent. Quam ſtatim miſerunt partibus Italiæ in ciuitatem Dertonam, ibi eam habentes. Non multo tempore pòſt ſuſceperunt patrem,* Ludouicum ipſum Imperatorem, *& duxerunt eum cum ipſis. Quo facto diuiſerunt ſibi. Pipinus perrexit in Aquitaniam, Ludouicus in Bauariam. Ludouicus verò duxit ſecum patrem in Compendium palatium, & ibi valdè afflixit eum cum Epiſcopis & cæteris nonnullis. Iuſſerunt enim eum ire in monaſterium, & ibi eſſe omnibus diebus vitæ ſuæ. Quod ille renuens non conſenſit voluntati eorum. Omnes enim Epiſcopi moleſti fuerũt ei, & maximè hi quos ex ſeruili cõditione honoratos habebat, cum his qui ex barbaricis nationibus ad hoc faſtigium perducti ſunt. Elegerunt tunc vnum impudicum & crudeliſſimum qui dicitur Ebbo Rhemẽſis Epiſcopus, qui erat ex originalium ſeruorum ſtirpe, vt eum immaniter affixiſſet cum confixionibus cæterorum. Inaudita locuti ſunt, inaudita fecerunt quotidiè improperantes ei. Abſtulerunt ei gladium de femore ſuo, iudicio ſeruorum ſuorum, induentes eum cilicio. Tunc impletum eſt elogium Hieremiæ Prophetæ dicentis: [c] Serui dominati ſunt noſtri, &c.* plura aduerſus Ebbonem inculcans, exprobrans eius ingratitudinem. Extant adhuc eiuſdem Ludouici Imp. publicæ pœnitentiæ ſcripta, quibus eiuſmodi inſcriptio præpoſita eſt.

* offendebant
* ſua
* confirmantes

PER EBBONEM EPIS. RHEMENSEM AGITVR IN LVDOVI. IMP.

c Thren. 5.

IX.

Quæ [d] ſequuntur geſta ſunt apud Compendium palatium contra Chriſtianiſſimum Imperatorem Ludouicum poſtquàm Regno ad tempus priuatus eſt. Acta ſunt autem ſtudio non imitandæ deiectionis eius ab Ebbone auctore eius mali & cæteris Epiſcopis, vel ex-

d Extat in ann. Frãc. ex Pithœi biblioth. editis.

tore admittentibus, vel timore conſentientibus. Non ſunt hæc vt ſalubris Concilij decreta amplectẽda, ſed vt exitialis commenti moliminæ reſpuenda, quæ ſic ſe habent.

Omnibus in Chriſtiana religione conſtitutis ſcire conuenit, quale ſit miniſterium Epiſcoporum, qualiſq; vigilantia atq; ſolicitudo eis circa ſalutem cunctorum adhibenda ſit, quos conſtat eſſe vicarios Chriſti & clauigeros Regni cælorum, quibus à Chriſto tanta collata eſt poteſtas, vt quodcumq; ligauerint ſuper terram ſit ligatum & in cælo, & quodcumq; ſoluerint ſuper terram ſit ſolutum & in cælo. Et in quanto ſint ipſi periculo conſtituti ſi ouibus Chriſti pabulũ vitæ miniſtrare neglexerint, & errantes ad viam veritatis, arguendo, obſecrando reducere pro viribus non ſtuduerint iuxta illud Propheticum: Si nõ annuntiaueris (inquit ſeipſum) iniquitatem ſuam, & ipſe in impietate ſua mortuus fuerit, ſanguinem eius de manu tua requiram. & multa de his ſimilia ad miniſterium paſtorale pertinentia, quæ in diuinis ſparſim continentur. Quapropter eiſdem paſtoribus Chriſti ſummopere ſtudendum eſt, vt erga errata delinquentium moderationem diſcretiſſimam teneant, vt ſint iuxta beati Gregorij doctrinam, documentum benè agentibus per humilitatem ſocij, contra delinquentium verò vitia per zelum iuſtitiæ erecti; quatenus poſthabito torpore aut ſegnitie vel humano fauore, aut mundiali timore ſic exerceãt miniſterium ſuum, vt & præſentibus ſalubriter conſulant, & futuris ſint exemplum ſalutis.

X.

Verùm quia in agro Dei, qui eſt Eccleſia Chriſti, zizania quæ inſtinctu hoſtis antiqui pullulare non ceſſant, quæ neceſſe eſt, vt adhibito ſarculo paſtoralis adicitus extirpentur, & propter malevolos quoſq;, qui benè acta aut intelligere nolunt, aut maleuola intentione potiùs intelligere, quàm ipſam veritatem delectantur amplecti: oportet eoſdem paſtores, vt quandocumq; de generali vtilitate, vel publica correctione quippiam in conuentu ſuo decreuerint, id iuxta morem Eccleſiaſticum ſcriptis committant, videlicet vt poſteris omnem ambiguitatem & occaſionem iuſtè detrahendi, vel reprehendendi penitùs amputent.

*Proinde notum eſſe neceſſarium duximus omnibus filiis ſanctæ Dei Eccleſiæ, præſentibus ſcilicet & futuris, qualiter nos Epiſcopi ſub Imperio domini & glorioſiſſimi Lotharij Imperatoris conſtituti, anno Incarnationis Domini Ieſu Chriſti octingenteſimo trigeſimo tertio, Indictione * XVII. anno ſiquidem eiuſdem Principis primo, in menſe videlicet Octobri, apud Compendium palatium generaliter cõuenimus, & memoratum Principẽ humiliter adiuimus, & hoc quidem illi ſiue Optimatibus illius, ſeu omni generalitati populi, quæ vndiq; illuc cõfluxerat, manifeſtare iuxta iniunctum nobis miniſterium curauimus, qualis ſit vigor & poteſtas, ſiue miniſterium ſacerdotale, & quali mereatur damnatione damnari ſententia qui monitis ſacerdotalibus obedire noluerit.*

* XI.

XI.

*Deinde tam memorato Principi, quàm cuncto eius populo denuntiare ſtuduimus, vt Domino deuotiſsimè placere ſtuderet, & eis quibus eum offenderant, placare non differret. * Enormata quippè ſunt multa, quæ per negligẽtiam in hoc Imperio contigerunt, quæ ad ſcandalum Eccleſiæ & ruinam populi, vel Regni interitum manifeſtis indicijs pertinebant: quæ neceſſe erant, vt cito corrigerentur, & in futuro omnibus modis vitarentur.*

Inter cætera etiam commemoratum eſt à nobis, & omnium in memoriam reductum, qualiter à Deo Regnum ſtud per ſtudium adminiſtrationẽ bonæ memoriæ Caroli præſtantiſſimi Imperatoris, & prædeceſſorum ſuorum valorem pacificum & vnitum, atq; nobiliter dilatatum fuerit, & domino Ludouico Imperatori à Deo ad regendum ſub magna pace commiſſum, Domino protegente ſub eadem pace, quamdiu idem Princeps Deo ſtuduit & paterna exempla ſecutus, ac bonorum hominum conſilijs acquieſcere curauit, conſeruatum manſerit. Et quomodo in progreſſu temporis, ſicut omnibus manifeſtum erat, per eius improuidentiam vel negligentiam in tantam venerit ignominiam & vilitatem, vt non ſolum amicis ſit moeſtitiam, ſed etiam inimicis venerit in deriſionem.

XII.

Sed quia idem Princeps miniſterium ſibi commiſſum negligenter tractauerit, & multa quæ Deo & hominibus diſplicebant & fecerit & facere compulerit, vel fieri permiſerit, & in multis nefandis conſilijs Deum irritauerit, & ſanctam Eccleſiam ſcandalizauerit, & vt cætera quæ innumera ſunt omittamus, nouiſsimè omnem populum ſibi ſubiectum ad generalem interitum congregauerit, & ab eo diuino iuſtoq; iudicio, ſubitò Imperialis ſit ſublata poteſtas: Nos tamen memores præceptorum Dei, miniſteriiq; noſtri atq; beneficiorum eius, dignum duximus, vt per licentiam memorati

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

tis Principis Lotharij legationē ad illum ex auctoritate ſacri conuentus mitterent, vt eum de ſuis reatibus admoneret, quatenus certum conſilium ſuæ ſalutis caperet: Vt qui poteſtate priuatus terrena, iuxta diuinum conſilium & Eccleſiaſticam auctoritatem, ne ſuam animam perderet, tempore rationabilem elaborare in extremis poſitus totis viribus ſtuderet. Quorum Legatorum conſiliis, & ſaluberrimis admonitionibus libenter aſſenſum præbuit, ſpatium poſcit, diemque conſtituit, quā de ſalubribus eorum monitis certum eis reſponſum redderet.

XIII. QVA SPI SCOPI IN LVDOVICVM IMP. Cum autem in præſcriptis inſtaret dies, ſacer idem conuentus vnanimiter ad eumdem venerabilem virum perrexit, eumque diligenter de quibus Deum offenderat, & ſanctam Eccleſiam ſcandalizauerat, ac populum ſibi commiſſum perturbauerat, admonere, & cuncta illi ad memoriam reducere curauit. Ille verò eorum ſanctiſſimam admonitionem, & dignam congruamque exaggerationem libenter amplectens, promiſit ſe illis in omnibus acquieturum ſalutari conſilio, & ſubiturum remediale iudicium. Porrò de tam ſalubri admonitione hilaris, illicò dilectum filium ſuum Lotharium Auguſtum feſtinatò aſſuturum ſupplicauit, vt illo ruptis quibuſlibet moris, cum ſuis primatibus veniret, quatenus primum inter eos mutua reconciliatio ſecundum Chriſtianam doctrinam fieret, vt ſi quid in cordibus eorum [illegible] aut diſcordia inerat, pura humilique poſtulatione veniæ expiaret, ac deinde coram omni multitudine iudicium ſacerdotale, more pœnitentis ſuſciperet: quod & non multò poſt factum eſt.

XIV. Veniens igitur idem dominus Ludouicus in baſilicam ſanctæ Dei Genitricis Mariæ, vbi ſanctorum corpora requieſcunt, Medardi videlicet, Confeſſoris Chriſti atque Pontificis, necnon Sebaſtiani præſtantiſſimi Martyris, aſſiſtentibus presbyteris, diaconibus, & non parua multitudine clericorum, præſente etiam præfato domino Lothario filio eius, eiuſque proceribus, atque totius populi generalitate, quotquot videlicet intra ſui ſeptum eadem continere potuit Eccleſia, & proſtratus in terram ſuper cilicium ante ſacroſanctum altare confeſſus eſt coram omnibus, miniſterium ſibi commiſſum ſatis indignè tractaſſe, & in eo multis modis Deum offendiſſe, & Eccleſiam Chriſti ſcandalizaſſe, populumque per ſuam negligentiam multifarie in perturbationem induxiſſe. Et ideo ob tantorum reatuum expiationem publicam & Eccleſiaſticam ſe expetere velle dixit pœnitentiam; quo miſerante Domino per eorum miniſterium & adiutorium proſperè mereretur abſolutionem tantorum criminum, quibus Deus ligandi atque ſoluendi contulerat poteſtatem.

XV. Quem etiam idem pontifices, vtpotè medici ſpirituales ſalubriter admonuerunt, aſſerentes ei quòd puram & ſimplicem confeſſionem ſequeretur vera remiſſio peccatorum: vt apertè confiteretur errata ſua, in quibus maximè ſe Deum offendiſſe profitebatur, ne fortè interius aliquid tegeret, aut in conſpectu Dei quippiam doloſe ageret, ſicut iampridem in Compendio palatio ab alio ſacro conuentu correptus coram omni Eccleſia eum feciſſe, omnibus notum erat: ne ſicut tunc, ita & nunc per ſimulationem & calliditatem, duplici ad Deum corde accedendo, ad iram potius quàm ad veniam ſuorum peccatorum prouocaret, quoniam Scriptura teſtatur: [a] Simulatores & callidi prouocant iram Dei. Verùm poſt huiuſmodi admonitionem profeſſus eſt ſe in omnibus iis præcipuè deliquiſſe, vnde à memoratis ſacerdotibus fuerat familiariter ſiue verbis ſiue ſcripto admonitus, vt dignâ increpatione correptus, ſuper quibus chartulam, ſummam reatuum ſuorum vnde illum ſpecialiter redarguerant continentem ei dederunt, quam ille in manibus gerebat.

a Iob. 36.

XVI. CAPITA CONTRA LVDOVICVM IMP. Videlicet ſicut in eadem charta plenius continetur, reatum ſacrilegij incurrendo & homicidij, eo quòd paternam admonitionem & terribilem conteſtationem ſub diuina inuocatione ante ſacrum altare in præſentia ſacerdotum & maxima populi multitudine ſibi factam ſecundum ſuam promiſſionem non conſeruauerit: eo quòd fratribus & propinquis violentiam intulerit, & nepotem ſuum quē ipſe liberare poterat, interficere permiſerit, & quòd immemor voti ſui ſignum ſanctæ religionis propter vindictam ſuæ indignationis fieri poſtea iuſſerit.

2 Quòd auctor ſcandali & perturbator pacis ac violator ſacramentorum exiſtendo, pactum quod propter pacem & vnanimitatem Imperij, Eccleſiæque tranquillitatem communi conſilio & conſenſu cunctorum fidelium ſuorum fuerat inter filios ſuos factum, & per ſacramentum confirmatum, ſuper illicita poteſtate corrupit, & in eo quòd fideles ſuos in contrarietatem eiuſdem primi pacti & iuramenti aliud ſacramentum iurare compulerit: inperiurijque reatum præſtitorum violatione ſacramentorum inciderit. Et quantum Deo hoc diſplicuerit, liquidò claret, quia poſt eà nec ipſe, nec populus ſibi ſubiectus pacē habere meruit, ſed omnes in perturbationem pœnam peccati ſuſtinendo, iuſto Dei iudicio poſteà inducti ſunt.

3 Quia contra Chriſtianam religionem, & contra votum ſuum ſine vlla vtilitate publica, aut certa neceſſitate prauorum conſilio deluſus, in diebus Quadrageſimæ expeditionem generalem fieri iuſſit, & in extremis Imperij ſui finibus in cœna Domini, quando Paſchalia ſacramenta ab omnibus Chriſtianis rite ſunt celebranda placitum generale ſe habiturum conſtituit. In qua expeditione, quantū in ipſo fuit, & populum in magnam murmurationem pertraxit, & ſacerdotes Domini à ſuis officijs, contra ſui amouit, & pauperibus grauiſſimam oppreſſionem irrogauit. XVII.

4 Quod nonnullos ex ſuis fidelibus, qui pro eius filiorumque ſuorū fidelitate, & ſalutatione, Regnique eius recuperatione humiliter eum adierant, & de inſidijs inimicorum ſibi præparatis certum reddiderant, violentiā intulerit: & quòd contra omnem legem diuinam videlicet & humanā eos & rebus proprijs priuauerit, & in exilio tradi iuſſerit, atque abſentes morti adiudicari fecerit, & iudicantes proculdubio ad falſum iudicium induxerit; & ſacerdotibus Domini ac monachis cōtra diuinam & canonicā auctoritatem præiudicium irrogauit & abſentes dānauit, & in hoc reatū homicidij incurrēdo, diuinarum ſeu humanarū legum violator extitiſſet.

XVIII. 5 De diuerſis ſacramētis ſibi, contrarijs ac pernicioſis, à filijs, ſiue à populo, eo præcipiente, & compellente irrationabiliter ſæpe factis, pro quibus non modicam in populo ſibi commiſſo peccati maculam induxit: reatum periurij nihilominus incurriſſet, quoniam hæc proculdubio in auctorem per quem fieri compulſa ſunt, iure retorquentur. Sed in mulierum purgatione, in iniuſtis iudicijs, in falſis teſtimonijs atque periurijs, quæ eo permittēte, coram ſe perpetrata ſunt, quantum Deum offenderit ipſe nouit.

6 De diuerſis expeditionibus, quas in Regno ſibi commiſſo non ſolum inutiliter, ſed etiam noxiè ſine conſilio & vtilitate fecit, in quibus nimium multa & innumerabilia ſunt in populo Chriſtiano flagitia perpetrata in homicidijs & periurijs, in ſacrilegijs & adulterijs, in rapinis, incendijs, ſiue in Eccleſijs Dei, ſiue in alijs di[illegible] locis factis, in direptionibus & oppreſſionibus pauperum, mi[illegible] & penè apud Chriſtianos inau[illegible] patrata: quæ omnia ad auctorem, ſicut præmiſſum eſt, reflectuntur.

XIX. 7 In diuiſionibus Imperij ab eo cōtra communem pacem, & totius Imperij ſalutem ad libitum ſuum temere factis, & in ſacramento etiam quod iurare compulit omnem populum, vt cōtra filios ſuos ſicut inimicos ſuos agerent, cum ipſe eos paternā auctoritate, conſilioque fidelium ſuorum pacificare potuiſſet.

8 Quod non ſufficerent ei tot mala & flagitia per ſuam negligentiam & improuidentiam in Regno ſibi commiſſo perpetrata, quæ enumerari non poſſent, pro quibus & Regni periclitatio, & dehoneſtatio euidenter prouenerat: ſed inſuper ad cumulum miſeriarum nouiſſimè omnem populum ſuæ poteſtatis ad communem interitum traxerit, cum debuiſſet eſſe eidem populo dux ſalutis & pacis, cum diuina pietas inaudito & inuiſibili modo ac noſtris ſæculis prædicando populo ſuo miſereri decreuiſſet.

SVSCEPIT LVDOVICVS AB EPISCOPIS POENITENTIAM. Igitur pro his, vel in his omnibus, quæ ſuprà memorata ſunt, reum ſe coram Deo, & coram ſacerdotibus, vel omni populo cum lacrymis cōfeſſus, & in cunctis ſe deliquiſſe proteſtatus eſt, & pœnitentiam publicam expetijt, quatenus Eccleſiæ, quā peccando ſcandalizauerat, pœnitendo ſatisfaceret, & ſicut fuerit ſcandalum multa negligendo, ita nimirum ſe velle profeſſus eſt eſſe exemplum, dignam pœnitentiam ſubeundo.

XX. Poſt hanc verò confeſſionem, chartulam ſuorū reatuum & confeſſionis ob futuram memoriam ſacerdotibus tradidit: quā ipſi ſuper altare poſuerunt, & deinde cingulum militiæ depoſuit, & ſuper altare collocauit, & habitu ſæculari ſe exuens, habitū pœnitētis per impoſitionē manuum Epiſcoporum ſuſcepit, vt poſt tantam talemque pœnitentiam nemo vlterà ad militiam ſæcularem redeat.

His itaque geſtis, placuit vt vnuſquiſque Epiſcoporum qualiter hæc res acta fuerit, in proprijs chartulis inſereret, eamque ſua ſcriptione roboraret, & roboratā memorato Principi Lothario ob memoriam huius facti offerret. Ad extremum omnibus nobis qui interfuimus viſum eſt omnium chartularum, immo tanti negotij ſummam in vnum breuiter, ſtrictimque congerere, & congeſtam proprijs manuum noſtrarum ſubſcriptionibus roborare, ſicut ſe-

quentia factum eſſe demonſtrant . . . . ſubſcriptiones deſunt.

Extat Agobardi Archiepiſcopi Lugdunenſis, qui cum alijs Epiſcopis ſedebat iudex contra Ludouicum Imperatorē de publica eius pœnitētia iſtiuſmodi ſcripta hiſtoria:

Publica Ludouici Imperatoris coram ampliſſimo Epiſcoporum conuentu pœnitentia Agobardo præſide.

In nomine Dei ac Domini noſtri Ieſu Chriſti, anno Incarnationis eius octingenteſimo trigeſimotertio, ego Agobardus Lugdunenſis Eccleſiæ indignus Epiſcopus interfui venerabili conuentui apud palatium, quod nuncupatur Compendium, qui vtique conuentus extitit ex reuerendiſſimis Epiſcopis, & magnificentiſſimis viris illuſtribus, collegio quoque Abbatum, & Comitum, promiſcuæque ætatis & dignitatis populo: præſidente ſereniſſimo & glorioſiſſimo Clothario Imperatore, & Chriſti Domini amatore, quo protegente & adiuuante ſubter annexa diſpoſita ſunt, anno Imperij primo, menſe quarto. Quibus omnibus vehementer incumbebat vera neceſſitas, vt ſollicitè tractarent de periculo regni in præſenti, & ſtatu in futuro. Quod regnum, quia iam diu nutabat, & impellebatur ad ruinam per negligentiam, & (vt veriùs dicam) per ignauiam domini Ludouici venerandi quondam imperatoris, in quibus ille irretitus
a 2. Tim. 3 *eſt per corruptas mentes, & corrumpentes, & ſecundùm [a] Apoſtolicum dictum, quia erant ipſi errantes, & alios in errorem mittentes: à quo conuentu, quidquid vtiliter & laudabiliter tractando & conferendo inuentum eſt, & neceſſariò ſtatuendum, & iudicantibus conſenſi, & conſentiens ipſe iudicaui. In primis videlicet, quæ ad commoditatem & ſoliditatem regni, & Regis pertinere videbantur: deinde quæ ad ereptionem & purgationem animæ domini Ludouici manifeſtiſſimè noſcebantur, quæ in prædicto conuentu fi-*
* veraciter *deliter quæſita, & * veraliter inuenta, & ordinabiliter executa ſunt, in eo ſcilicet, quod prædictus conuentus deliberauit, vt per Legatos & Miſſos admoneretur dominus Ludouicus de ſuis erratibus, & exhortaretur, vt ſecūdum propheticum dictum rediret ad cor, & recognoſceret acta ſua, quæ aduerſus Deum, currens per vias prauitatis & iniuſtitiæ, exegerat, ac deinceps ſuſciperet conſilium vitæ, & ſalutis ſuæ: quatenus ad omnipotentem Iudicem & Dominum, qui clementiſſimus indultor eſt criminum, indulgentiam, & remiſſionem iniquitatum impetrare poſſet. Vt qui per multiplicatas negligentias regnum terrenum amiſerat, per impenſas ſupplices confeſſiones regnum cœleſte adipiſceretur per eum, apud quem eſt miſericordia & copioſa redemptio.*

Propter quod & libellus editus eſt à viris diligentioribus, & ei oblatus de manifeſtatione criminum ſuorum, in quo velut in ſpeculo perſpicuè conſpiceret fœditatem actuum ſuorum, & fieret in il-
b Pſal. 50. *lo quod per pœnitentem perfectum dictum eſt: Iniquitatem meam ego cognoſco: peccatum meum coram me eſt ſemper. Pro quare acceſſerunt ad eum denuò omnes, qui in prædicto conuentu aderant Epiſcopi, condolentes & compatientes infirmitatibus & miſerijs eius, exhortantes atque exoptantes, & poſtulantes: vt omnipotens Deus manu pietatis ſuæ educeret eum de lacu miſeriæ, & de luto cæni. Quod clementiſſimus Dominus non ſolùm non abſtulit, ſed nec diſtulit, ſed mox reſuſcitata in mente eius contritione, humiliatæ cordis proſtratus coram eis, non ſemel, vel iterum, ſed tertiò, amplius crimina cognoſcit, veniam poſcit, auxilium orationum precatur, conſilium recipit, pœnitentiam poſtulat, in unctam ſibi humilitatem libentiſſimè impleturum promittit. Innoteſcitur ei lex & ordo publicæ pœnitentiæ, quam non renuit, ſed ad omnia annuit, ac demum peruenit in Eccleſiam coram cœtu Fidelium antè altare, & ſepulchra Sanctorum, & proſtratus ſuper cilicium, bis, terque, quaterque, confeſſus in omnibus, clara voce, cum abundanti effuſione lacrymarum, depoſitis armis manu propria, & ad crepedinem altaris proiectis, ſuſcepit mente compuncta pœnitentiam publicam per manuum Epiſcopalium impoſitionem cum Pſalmis & Orationibus: ſicque depoſito habitu priſtino, & aſſumpto habitu pœnitentis, congratulans & confidens poſtulat piſſimi Paſtoris humeris reduci. His geſtis ego Agobardus indignus Epiſcopus interfui, & melioribus conſonans, & conſentiens iudicaui, & manu propria ſignans ſubſcripſi.*

XXI. Qui res geſtas Ludouici tunc temporis conſcripſit, facinus deteſtatus, hęc ait: *Verentes ſceleris conſpiratores inauditi, ne versâ vice retrolapſa ferrentur geſta quæ erant: callido (vt ſibi viſum eſt) cum aliquibus Epiſcoporum vtuntur argumento: vt pro his de quibus iam pœnitudinem geſſerat Imperator, nempè de nece Bernhardi, iterum publicâ pœnitentiâ, armis depoſitis irrevocabiliter, quodammodò Eccleſiæ ſatisfacere induceretur. Cum ne forenſes quidem leges contra vnam culpam ſemel commiſſam bis inuehant vindictam: & noſtra lex habeat: Non iudicare Deum bis in idipſum. Cui iudicio pauci contradixere, plures aſſenſum præbuere: maxima pars (vt aſſolet in talibus) primoribus offendere nolens, verbotenus conſenſere. Adiudicatum ergo eum abſentem & inauditum, nec confitentem, neque conuictum, ante corpus S. Medardi Confeſſoris, & S. Sebaſtiani Martyris arma deponere, & ante altare ponere cogunt, pullaque indutum veſte, adhibitâ magna cuſtodia, ſub tectum quoddam retrudunt.* Sanè quidem rem per vim & metum actam, coloratamque falſo religionis pigmento, nemo non dixerit ac improbarit. Cum aliqui etiam ſi facta digna ſolemni ſiue publicâ pœnitentiâ præcediſſent: eam tamen iterari non debere, canones clamant [illegible] S. Auguſtino ad Macedonium teſtante. Vnde meritò boni omnes deteſtati ſunt factum, & iure vituſi Theop[illegible]nus, quem diximus, in Ebbonem Rhemenſem Epiſcopum horum omnium architectum, exprobrans facinus, decla[illegible]maſſe.

XXII. Quæ autem hæc ſequuta ſint audi ab auctore vitæ eiuſdem Imperatoris: *Expleto, inquit, hoc negotio, Miſſa S. Martini populus licentiâ acceptâ pro talibus geſtis [illegible] ad propria reuertitur. Lotharius autem patrem ſecum ducens, Aquiſgranum hyematum aggreditur. Intra hiemis huius decurſum [illegible] tam Franciâ quàm Burgundiâ, necnon Aquitania, ſed & Germania coëuntes, calamitoſis querelis de Imperatoris infortunio querebantur. Et quidem in Franciam Egghardus Comes & VValhelmus Comes ſtabuli, quos poterant ſibi in vnum voluntatis reſtituendi Imperatoris coadunabant. A Germania verò Hugo Abbas à Ludouico filio Imp. & ab eis quibus conſequuti, à Drogone ſcilicet, Epiſcopis & reliquis, Populum in hoc ipſum [illegible]bat. Porrò Bernhardus & VVarinus in Burgundia conſitentem populum ſuaſionibus accendebant, promiſſionibus alliciebant, ſacramentis aſtringebant, & in vnum velle fœderabant.* hæc ipſe. Sed quæ poſt hæc hieme tranſacta ſequuta ſint, ſuo loco dicturi ſumus.

Eodem anno dum hæc in Ludouicum Imperatorem aguntur, Compendium venit legatio à Theophilo Conſtantinopolitano Imperatore ad Ludouicum ipſum miſſa. Qui eâ functi ſunt, fuere Marcus Archiepiſcopus Epheſinus & Protoſpatharius eiuſdem Imperatoris, quam ſuſcepit Lotharius vnà cum muneribus miſſis, eoque dimiſſo, nihil præterea in Orientem reportantes, quàm eam quam viderant tragœdiæ lugubris actionem.

IESV CHRISTI
Annus 834.

GREGORII PAP. IV. Annus 7. LVDOVICI 21. IMP. THEOPHILI 5.

I. SEQVITVR annus Chriſti Redemptoris octingenteſimus trigeſimuſquartus duodecimâ Indictione, quo Ludouicus Imperator in Imperiū reſtituitur. Cùm enim vndique conflari eſſe ſcirentur ad liberandum Imperatorem exercitus, Lotharius hoc cernens, ſe excuſans contra eſſe peracta iudicio Epiſcoporum, relicto ipſo Ludouico in monaſterio S. Dionyſij iuxta Pariſios, eodem ipſo qui eum reſtituere conarentur, Viennam ſe contulit. Quæ autem hæc ſint ſequuta, ex vita ipſius Ludouici ſic accipe: *At verò ij qui cum Imperatore remanſerant, eum ad recipienda Imperatoria inſulas hortabantur. Sed Imperator quamquam [illegible] de quo prædictum eſt, Eccleſiæ eliminatus communione, [illegible] præproperè voluit acquieſcere ſententiæ: ſed Dominica [illegible] ſtinum aduenit, in Eccleſia S. Dionyſij Epiſcopali miniſterio voluit reconciliari, & per manus Epiſcoporum armis accingi conſenſit. In qua re tanta exultatio populi extitit, vt etiam ipſa elementa viderentur iniuriam patientis compati, & rebus congratulari. Etenim vſque ad illud tempus tanta incubuerat procellarum [illegible] niarumque vehementia, vt extra ſolitum aquarum ſuper abundantia excreſceret, flatuſque ventorum impermeabiles fluminum alueos redderet. Sed in illius abſolutione ita quodammodò viſa ſunt [illegible]*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN